

007  
f. 8p

Tom. 74

1. 8  
2.  
3.  
4. 2  
5. 0  
6. 8  
7. 8  
8.  
9. 1  
10. 2  
11.  
12. 12  
14.  
15. 2  
16.  
17.



Q. D. B. V.  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA

DE  
HOMINE ΠΑΘΗΤΩ,

Quam  
AVSPICE DIVINO NUMINE

SUB PRÆSIDIO

DN. CONRADI PHILIPPI LIMMERI,

Medicinæ Doct. Ejusdemq; Facultatis, Item Phys. & Mathef.  
in Illustr. Lyceo Anhalt, Prof. Publ. ; Academia Cæsareo-  
Leopoldinæ Naturæ Curiosorum Collegæ, nec non  
Reipubl, Servest, Physici ordinarii,

*DNI. Patroni ac Præceptoris atatem colendi.*

Publicæ & placidæ Eruditorum Disquisitioni  
submittet,

Ad diem xxii. Febr. Anni M D C C IV.

*L. horisq; solitis*

AVCTOR ET RESPONDENS,

JOANNES GODOFREDVS Hoffmeyer.

Serv: Anhalt: S. Theol: & Philof: Stud:



SERVESTÆ, EXCVDIT JOH. ERN. BEZELIVS.

AVLE ET ILL. GYMN. ANH. TYPOGR.

*Sacrae Regiae Majestatis Borussiae,*  
ut &

*Suae Celsitudinis Regiae,*

**PHILIPPI VVILHELMI,**  
Principis Borussiae, Marchionis Bran-  
denburgici etc: etc:

**CONSILIARIO AVLICO.**

*NOBILISSIMO DOMINO*

**MARTINO GODO-  
FREDO HOFFMANNO,**

*Domino Patrono ac Avunculo suo obser-  
vantissime suspiciendo,*

eo, quo par est, animi cultu &  
obsequio

*Hasce studii Philosophici primitias*

d. d. d.

**AVCTOR**

DISSERTATIONIS PHILOSOPHICÆ

De

HOMINE ΠΑΘΗΤΩ

§. I.

**S**I ulla in natura occurrunt argumenta, quibus prælucente lumine rationis, DEI Existentiæ, E jusq; summa Sapientia, Potentia, & Bonitas demonstrari queant, illa certè vel in solo *Homine* invenire licet efficacissima. Hujus enim divinæ & Sapientiæ, & Potentiæ, & Bonitatis radii ex stupenda hominis natura adeo largiter emicant, ut cum Psalmista exclamandum nobis sit: Quam mirabilia, o Domine, sunt opera tua, & quantus est Sapientiæ & Potentiæ tuæ Thesaurus! Quicquid enim præter *Hominem* universus in se complectitur mundus, id simplicis ac singularis naturæ est, sive *intellectuale* illud fuerit, sive *corporeum*. In *Homine*, ut brevi totius universi compendio, & verè Microcosmo, omnis naturæ creatæ Summa invenitur. Ens etenim Homo est, ex mente & corpore compositum. Præter *mentem* verò seu substantiam intellectualem, & *corpus* seu substantiam extensam in mundo nihil est. De hac autem stupenda & mirabili plane Hominis natura differendi occasionem mihi præbet præsens hæc de Homine *παιθητή* Dissertatio. Cum enim *Passiones* seu *Affectus* Hominis sint Actiones non solum corporis, nec solum mentis, sed totius Hominis, ex mente & corpore compositi, illique cum sensibus humanis omnem humanitatem absolvant, nullum utique de his Passionibus seu Affectibus animæ conceptum clarum & evidentem haberi & formari posse ab ullo, nisi qui humanam naturam cognitam probeq; perspectam habuerit, fatebuntur mecum, ut spero, omnes. Ex ignora-

A

tionē

tionem enim hujus naturæ humanæ tam multi & innumeri illi errores promanarunt, quos circa naturam passionum earumque subiectum foverunt Philosophi.

§. 2.

Definitur autem vulgo *Homo*, quod sit *Animal Rationale*. Quam quidem definitionem hic pluribus examinare, nos non est instituti; Hoc tantum obiter notare volumus, illam non tantum obscuram esse & ambiguam; sed simul eam intuitu Hominis manifestam in se continere Tautologiam, & ad Bruta translata absurditatem & contradictionem involvere apertissimam. Si enim vox *Animal*, ut facile concedent omnes, derivatur à voce *Anima*; hæc verò nihil aliud significat, quam id, quod *rationem*, i. e. intellectum & voluntatem habet; (quicquid enim alii de alia anima, vegetativa scilicet & sensitiva dicunt, rationali animæ contradistincta, cum de illa nullum habeamus clarum & distinctum conceptum, ne attendi quidem meretur;) sequitur utique, quod *Animal* seu *Animalitas* vi vocis idem sit ac *Rationale* quid, seu *Rationalitas*; sicque definitio vulgaris, quæ *Homo* dicitur *Animal Rationale*, idem sonet, ac si *Homo* definiretur esse aliquid *Rationale Rationale*, seu si diceretur *Rationalitas Rationalis*; quæ insignis est Tautologia. Quando autem hoc genus definitionis quoque *Bruto* tribuitur, illudque definitur, quod sit *Animal Irrationale*, quid aliud significat hæc definitio, quam quod *Brutum* vi *Animalitatis* sit aliquid *Rationale*, quod, dum simul dicunt *Irrationale*, sicque in *Bruto* ponunt & concipiunt *Rationalitatem Irrationalem*, utriusque manifeste contradictoria loquuntur.

§. 3.

Existimamus ergo *Hominem* rectius dici & defini *Ens compositum ex Mente finita cogitante, & Corpore organico extenso*.  
Quæ

Quæ definitio multò clarior & evidentior est priori. In ea enim denominantur & clarè describuntur illa Entia, quæ Hominem componunt, quæq; per suas distinctissimas formalitates ita ab invicem distinguuntur, ut singula facile in se & seorsim non tantum cognoscantur; sed &, quod ex illorum unione resultat, nemini obscurum esse possit.

§. 4.

Partes itaque essentielles Hominis sunt *Mens & Corpus*. Quid autem intelligendum sit per Mentem, de eo maxime inter se dissentiunt Philosophi antiqui & recentiores. Alii enim conceperunt *Mentem* sive *Animam Rationalem*, ut ignem subtilissimum; alii ut aërem; alii ut humorem; unde etiam in temperamento sanguinis & humorum, & olim *Galenus* & hodie nonnulli Recentiores animam quærunt & collocant, sicque eam merè *materialem* faciunt. Cum autem hæc omnia præsupponant extensionem; extensio autem nullo modo locum habeat in conceptu mentis, facile etiam horum sententiæ absurditatis suæ mole corruunt. *Aristoteles* & plurimi ejus sequaces *Mentem* sive *Animam Rationalem* ita definiunt: Quod sit *ἐντελέχεια*, sive *Actus corporis physici & organici vitæ habentis potentia*. Quæ definitio quanta labore obscuritate, vel inde patet, quod & corporum agendi vis & potentia ipsis quoque dicatur *ἐντελέχεια* sive actus; sicque dubium sit, an hic actus in hac præsentī definitione aliquid ab actu corporeo distinctum denotare debeat, vel non. Si nihil distincti significat ab actu corporeo, sive à potentia agendi corporea, hæc sententia utique ejusdem momenti erit cum prioribus, quibus animam instar subtilissimi alicujus corporis extensam conceperunt. Si verò aliquid ab actu corporeo realiter distinctum denotat hæc *ἐντελέχεια* sive actus, quidnam demum

illud sit, dici & ostendi debuisset, quod nullo modo dicunt & explicant reliqua definitionis verba. Quæ ipsa quoque insigni sua ambiguitate & obscuritate laborant, dum hoc corpus organicum dicitur *potentia* saltem *vitam habere*; quæ vita potentialis corporis organici, qualis demum futura sit, si ab hoc actu deducatur in actum, utique ex illa definitione non patet, neque alibi ab ipsis unquam distincte fuit explicatum. Alii Recentiorum animam dicunt esse Substantiam *imaterialem, impalpabilem, & invisibilem*. Quæ definitio, præterquam, quod merè *negativa* sit, & non *positive* determinet, quid sit anima, ita simul quoque istis ferre absolvitur prædicatis, quæ etiam corporibus subtilissimis competunt, & jure attribui possunt.

§. 5.

Rectius itaq; nostrâ sententiâ Cartesius definit *Mentem* seu *animam Rationalem*, quod sit *Ens*, seu *Substantia cogitans finita*; sic ut ejus attributum essentialiale & formale sit ipsa *Cogitatio*. Quia scilicet: positâ cogitatione ponitur mens; eâdem verò sublatâ tollitur; unde in sola hac cogitatione ejus natura & essentia consistere debet. Quod inde magis elucescit, quod cogitatio clarissimè & distinctissimè concipiatur esse fundamentum, radix, & fons attributorum & modorum omnium, qui menti accidere possunt, ita ut eâ positâ sequatur series attributorum modorumque omnium mentis. Modi autem & attributa mentis licet omnia à mente removeantur, nihilominus tamen clarissimè percipitur adhuc supereffe cogitatio tanquam menti essentialis. In eo namq; consistit uniuscujusque rei natura & essentia, quod ita concipitur in re, ut, etiamsi cætera omnia in nihilum redigerentur, illud tamen ut nihilominus existens clare concipi possit, & ita quidem concipi, ut eò positò sequatur



tur series attributorum modorumq; plurimorum rei, quorum illud ipsum sit immediatum subiectum; jam verò hæc omnia locum habent in sola cogitatione, ergo etiam illa debet naturam & essentiam mentis constituere.

Quemadmodum autem *Mens* consistit in *Cogitatione*, uti præcedenti vidimus paragrafo; ita contra *Corpus*, tanquam altera pars hominis, consistit in *Extensione*, sive in trina dimensione, longitudine scilicet, latitudine & profunditate. Hæc enim extensio concipitur primum & radicale attributum corporis, ex quo omnes alii modi seu qualitates corporis tanquam totidem rivuli ex uno fonte manant & derivantur. Hæc enim extensione positâ ponitur corpus; eadem verò sublatâ protinus tollitur & destruitur. Hæc verò extensio in genere spectata omnibus competit corporibus, & quoad extensionem nulla est inter corpora differentia. Differentia autem, quæ est inter corpora, solummodo & unice dependet à *formis*, non quidem *substantialibus*, (quippe de quibus nullum habemus conceptum, testante hoc ipso Scaligero in libro suo de subtilitate,) sed *accidentalibus*, quæ tamen & essentialia dici possunt, scilicet à diversa magnitudine, figura, motu, situ & quiete partium, quod vis corpus constituentium. Sic v. gr. clepsydra est clepsydra, & distinguitur ab omnibus aliis corporibus hujus mundi, per solam partium suarum, quibus constat, certam magnitudinem, certam figuram, certum situm & earundem quietem. Sic quoque corpus humanum solummodo differt à reliquis corporibus, per solam partium suarum magnitudinem, figuram, situm, & motum certarum partium, aliarum verò quietem. Gaudet enim multis & variis organis, quæ in nullis aliis corporibus reperiuntur,

exceptis brutis, unde etiam vocatur *corpus organicum*; dif-  
fert quoque à reliquis corporibus per easdem formas acci-  
dentales. Sunt enim hæ formæ accidentales omnis muta-  
tionis in corporibus causæ; ut proinde opus non habea-  
mus refugere ad obscuras & occultas qualitates cum Phi-  
losophi Peripateticis.

§. 7.

Ex his autem facile quis videre poterit, nihil magis ab  
invicem distinctum esse, sibi que oppositum, quam quidem  
est *Cogitatio & Extensio*. Nihil enim plane continetur in  
conceptu cogitationis, quod pertineat ad extensionem;  
neque in conceptu extensionis quicquam includitur, quod  
pertineat ad cogitationem. Adeoque in *Corpore* nihil am-  
plius concipimus præter *Extensionem*, ejusque varios mo-  
dos, magnitudinem scilicet, figuram, motum, situm & quie-  
tem; ex quibus fluunt omnes reliquæ proprietates & qua-  
litates corporeæ, quales sunt calor, frigus, humiditas, siccitas,  
gravitas, levitas, asperitas, glabrities, durities, friabilitas,  
mollities, fluiditas, colores, sapores, odores, etc. In his enim  
omnibus nihil cogitationis reperitur. Cogitationem enim  
competere non posse *magnitudini*, inde liquet, quod posita  
quacunque magnitudine v. gr. pedali, bipedali etc. non ta-  
men propterea corpus hac vel illa magnitudine determi-  
nata præditum cogitare poterit. Nulla enim magnitudo  
alia præ alia infert necessitatem cogitandi. Sic neque in  
*figurarum* diversitate ulla vis cogitandi continetur. Ponas  
enim corpus vel rotundum esse, vel quadratum, vel trian-  
gulare, non tamen propterea cogitabit; quia omnes hæ  
diversæ figuræ sunt meri modi corporis. Neque *scelus* par-  
tium quicquam conferet ad cogitandi vim corpori concili-  
andam; quocumque enim modo partes alicujus corporis  
sitæ

fitæ & collocatæ & invicem conjunctæ concipiuntur, five triangulares tangant quadratas, five quadratæ rotundas, non tamen propterea illud corpus poterit cogitare; quia cogitationibus cum hoc situ diverso partium nihil intercedit commercii. Nec est, quod quis existimet, fortè *motum* corporis localem cogitandi potentiam corpori conciliare posse. Sive enim concipias corpus moveri sursum, vel deorsum ad lineam, vel antrorsum vel retrorsum, vel dextrorsum vel sinistrorsum, nulla tamen vis cogitandi inde conciliabitur corpori; sed erunt & manebunt illi diversi motus tantum diversi modi corporei. Nec denique *quies* partium cogitandi felicitate beabit corpus; cum quies quam maximè contrarietur cogitationibus nostris actualibus perpetua lege sibi continuo succedentibus; imo quies cum ipsis nostris cogitationibus ratione suæ naturæ nihil habeat commune,

§. 8.

Has diversissimas substantias, *mentem* scilicet *cogitantem*, & *corpus extensum*, DEUS T. O. M. pro infinita sua sapientia, potentia & bonitate, conjunxit intimè & amicissimè; quæ suam ob diversitatem naturarum aliàs nunquam conjunctæ fuissent. Quis enim mens & corpus per se conjungi potuissent, cum natura mentis in cogitatione, corporis autem in extensione consistat? Cogitatio autem non potest esse vinculum, quò duæ hæc substantiæ, naturâ suâ diversissimæ, conjungantur; quia cogitatio non potest conjungi cum alia re, nisi cogitando; cogitatio autem in extensione non habet locum, adeoque conjunctio naturaliter non dependere potest à mente, sed ab alio. Extensio etiam non potest esse vinculum; quia extensum non aliter quam per contactum superficieum cum alia re potest conjungi; duplex

plex igitur in tali conjunctione requireretur superficies, & in corpore, & in mente; quæ superficies autem in mentem cadere non potest; adeoque conjunctio illa iterum non dependet ab extensione; sed aliam requirit causam, aliumque Autorem, scilicet solum Deum Opt. Max. Contigit autem illa conjunctio sive unio in mutua *Actione* & *Reactione* seu *Passione*; ita scilicet, ut positus in mente certis cogitationibus, ponantur & sequantur certi motus locales in corpore organico; & vice versa, positus certis motibus in corpore, sequantur certæ cogitationes seu perceptiones & volitiones in mente. Unde etiam & hoc conficitur, quod *forma Homini* non sit anima, uti quidem Peripatetici volunt; siquidem anima Homini, qua tali, non dat suum esse specificum, neque eum distinguit ab omnibus reliquis substantiis; quod tamen formam Homini præstare debere, ipsi Peripatetici fatentur. Sed cum posita demum hac unione mentis cum corpore ponatur Homo, eam verò sublatam tollatur; hinc sola etiam hæc unio mentis cum corpore pro forma hominis erit habenda & agnoscenda.

§. 9.

Quamvis autem Mens vi unionis ejusdem cum corpore toti corpori est præsens & conjuncta *mediate*, non quidem per coextensionem, sed per operationem, quatenus scilicet in plurima totius corporis nostri membra agit & imperium suum exequitur; tamen hoc non impedit, quominus certæ cuidam parti præsens esse dici possit magis *immediate*; quæ pars jure dici potest *Sensorium commune*, quo scilicet sensorio communi moto sequatur statim aliqua perceptio in nostra mente. Quamnam pars autem sit sensorium commune, de hoc maxime controversatur. Philosophi Peripatetici putant sensorium commune esse *Cor*, sed hoc

hoc falsum est ; si enim cor esset sensorium commune, deberet in corde esse non solummodò fons & scaturigo spirituum animalium, sed etiam concursus plurimorum nervorum, sine his nervis enim & spiritibus animalibus nullò modò functiones animales peragi queunt. Cor autem nequaquam officinam esse spirituum animalium, neq; nervos ibi concurrere, experientia anatomica testatur. Nos dicimus sensorium commune esse *Glandulam* aliquam sitam in cerebro, quæ dicitur *Pinealis*. Hæc enim glandula pinealis sita est in confinio quatuor ventriculorum cerebri, quos receptaculum esse spirituum animalium, & ex illis nervos, saltem qui sensibus & motibus arbitrariis inferviunt, originem trahere, ratio & experientia confirmant.

§. 10.

Cum autem Homo constet & compositus sit ex duabus substantiis realiter inter se distinctis, *mente* scilicet & *corpore*, quæ dictâ ratione sint unitæ, utique diversæ ejus debent esse actiones & operationes. Quædam enim actiones *primò* in nobis reperiuntur *soli corpori* propriæ & independentes à mente, procedentesque à solo mechanismo organorum variorum, quasq; homo communes habet cum brutis; uti sunt chylicatio, sanguificatio, generatio spirituum animalium, sanguinis & reliquorum humorum circulatio, spirituum animalium influxus in musculos, in motibus scilicet nostris *involuntariis*, & similes. Aliæ *secundò* actiones in nobis deprehenduntur, quæ ad *solam mentem* pertinent, & quæ ab ipsa mente *immediatè* procedunt, quasq; communes habet mens cum aliis mentibus; quales sunt omnes nostræ intellectiones & volitiones, seu diversi modi intellectus & voluntatis. Actiones deniq; *tertio* in homine occurrunt considerandæ, quæ ipsi, *ut Homini*, sunt propriæ, & incom-

B muni-

inimicabiles cum brutis, aliisque mentibus; quæq; proinde  
solæ *actiones humanae* recte dicuntur. Sunt autem illæ du-  
plicis generis: *Sensus* scil: *humani*, quibus mens humana va-  
ria objecta sensilia cum intima conscientia sentit & perci-  
pit; & *Pathemata anima*. Quas ultimas actiones humanas,  
scil: *Pathemata animi*, paulo curatius ut inspiciamus &  
perlustremus, necessum erit, & præsentis Dissertationis  
scopus à nobis postulat.

§. II.

Aristoteles *Rhetor. Lib. 2. Cap. 1. No. 16.* in genere de affe-  
ctibus animi differens affirmat, quod *motus animi, quibus im-*  
*mutati homines aliter atq; aliter judicant, sint ii, quibus conse-*  
*quens est molestia & voluptas.* Quæ definitio affectuum ani-  
mi Aristotelica licet omni ex parte rejicienda non sit, non  
tamen satis clarè & sufficienter generalem eorundem na-  
turam explicat, nec determinat, quid illi sint intuitu *mentis*  
*humanae & corporis humani*, ex quibus duabus partibus essen-  
tialibus compositi hominis actiones propriæ sunt affectus  
animi, tanquam actiones humanæ, uti paragrafo præce-  
denti vidimus. In eo enim communis & Aristotelis &  
Scholasticorum Philosophorum consistit error, quod (1)  
in homine concipiant *animam*, quam *sensitivam* vocant,  
quamq; dicunt nos habere cum brutis communem, & quæ  
specie distincta sit à mente humana seu anima rationali.  
(2) quod huic animæ *sensitive*, rationali animæ contradi-  
stinctæ, & nobis cum brutis communi, tribuant & affingant  
duplicem *Appetitum sensitivum*, unum *concupiscibilem*, alte-  
rum *irascibilem*. Ex quo duplici fonte appetitus sensitivi  
fluant omnes illi motus & affectus animi. Et cum hi ap-  
petitus *inferioris partis* animæ, *sensitive* scil: sæpe sæpius re-  
pugnent & reluctentur *parti superiori* animæ, quam *ratio-*  
*mena*

nem vocant ; hinc luctam illam & pugnam, quam tempore passionum in nobis deprehendimus , à conflictu duarum illarum partium animæ derivare hæcenus non dubitaverunt.

§. 12.

Verum enimvero illam distinctionem partium, *superioris* & *inferioris*, in anima non agnoscimus. Una enim eademque est anima, quæ *sensitiva* est, & quæ *rationalis* dicitur. Sed sentire enim est actus rationis, quia omnis sensatio proprie sic dicta involvit conscientiam. Conscientia autem sine ratione haberi non potest. Deinde posito, quod pars *sensitiva* animæ distincta concipi possit à parte animæ superiori, quæ *rationalis* audit ; non video tamen, cur in illa velint tantum duplicem appetitum, unum *concupiscibilem*, alterum *irascibilem*, agnoscere : Ad quem duplicem appetitum deinde omnes motus & affectus animi reduci & revocari debeant. Illi enim duo appetitus animæ sensitivæ nihil aliud significant, quam quod anima *sensitiva* habeat duas facultates, unam *concupiscendi*, alteram *irascendi*. Sed cum eodem jure dici possit habere facultatem admirandi, amandi, sperandi, metuendi, singulosque alios affectus in se recipiendi, aut agendi ea, ad quæ hi affectus eam impellunt, nulla utique ratio est, cur omnes affectus animi ad *Concupiscentiam*, vel *Iram*, juxta definitionem Aristotelicam, & mentem Scholasticorum Philosophorum, reduci debeant. Taceo, quod per naturam suam omnes affectus animi ad illos duos revocari nequeant. *Admiratio* enim ad neutrum pertinet, neque ad affectum *concupiscentiæ*, neque ad affectum *iræ*. Et *amor* suâ naturâ prior est *cupiditate* ; adeoque ab hac, tanquam primitivo affectu, procedere non potest. *Ira* vero est *specialis* affectus, & multo posteri-

or multis aliis affectibus ; quomodo ergo cum Scholasticis considerari poterit ut affectus primarius, ad quem media pars affectuum reduci possit aut debeat ?

§. 13.

Rectius igitur putamus describi & definiri affectus animi, quod sint *certaine agitationes seu commotiones animæ rationalis, corpori humano certo fœdere junctæ, quæ ad eam speciatim referuntur, quæq; producuntur, conservantur & corroborantur per aliquem motum spirituum animalium.* Dico passiones animæ nihil aliud esse, quam certas agitationes seu commotiones animæ, potius quam sensus seu sensationes, licet has simul includant ; quia in passionibus seu affectibus animæ aliquid amplius contingit, quam in sensibus humanis, simpliciter sic dictis, quibus sc: mens humana per organum visus v. gr. percipit lumen & colores ; vel per organum auditus sonos, etc. In *his* enim sufficit simplex objectorum sensilium perceptio cum intima conscientia conjuncta, sine sui interiori commotione & perturbatione. Cum contra in *illis*, sc: passionibus animæ, mens non tantum percipiat cum intima conscientia harum suarum passionum objecta ; sed etiam simul ab illis ratione suæ voluntatis *magis sensibilibiter* afficiatur & commoveatur : Imo etiam intime quatiatur & sæpe perturbetur ; omnesq; ejus cogitationes sunt *violentiores* in passionibus, quam in sensibus humanis. Illæ autem commotiones animæ dicuntur porro ad mentem *speciatim referri*, ut eo ipso non tantum indicetur, quod mens sit *subjectum* omnium passionum *proximum*, & in qua effecta passionum specialius se exerant ; sed ut ea ratione passiones animæ eo melius distinguantur à sensibus humanis, & quibuscunq; aliis mentis cogitationibus ; quarum *aliæ* referuntur magis ad objecta externa, ut odores, sapes, sonos, colo-



colores, etc. ; *alia* ad nostrum corpus, ut fit in fame, siti, doloribus, etc. ; Adde, quod, licet sensus humani etiam suo modo ad mentem pertineant & referantur, non tamen ita *speciatim* ad illam referuntur, nec ita sensibilibiter commovent & quatunt mentem, quam quidem faciunt objecta passionum nostrarum. Illa enim in anima tam sensibilem producant effectum, & modo plane extraordinario eam adeo afficiunt, ut hinc facile distinguantur non tantum ab omnibus reliquis sensibus humanis ; sed etiam omnibus aliis mentis nostræ cogitationibus. Quando verò porro dicuntur illæ commotiones animæ in nostris passionibus *produci, conservari & corroborari, à quodam motu spirituum animalium*, his ipsis hoc intendimus, ut eas eo melius distinguamus ab illis perceptionibus & volitionibus mentis nostræ, quæ non à spirituum animalium motu, sed à mente nostra ipsa proficiuntur ; & ut sic passionum animæ causa proxima & immediata eo clarius intelligatur ; quæ ex vulgari passionum definitione, qua illæ ad solam animæ partem inferiorem, quæ sensitiva dicitur, ut causam suam proximam referuntur, non facile cognoscetur.

§. 14.

Cum ergo motus spirituum animalium sit *causa efficiens* omnium passionum, quæ in mente nostra oriuntur, non incongruum erit ; ut illorum originem & naturam paucis describamus & delineemus. Habent autem *spiritus animales* suam originem à sanguine, suntq; nihil aliud, quam *corpuscula quaedam ejus subtilissima, rarissima, mobilissima & summe elastica*, sive ex præjudicio, sive ex defectu meliorum vocabulorum à Philosophis & Medicis nomine spirituum animalium insignita & indigitata. Quando enim sanguis, constans ex variis particulis, tam subtilibus & re-

B 3

gula-

gularibus, quam crassis & irregularibus, cordis elastico motu ex sinistro ejus ventriculo expellitur, ejus pars per arteriæ magnæ ramos ascendentes, & in specie per duas arteriæ carotides internas, totidemq; cervicales ingreditur caput, & per cerebri & cerebelli substantiam diffunditur; in cujus corticali & glanduloso tractu ejus particulæ subtilissimæ & mobilissimæ, humidæ & salino-aëreæ-volatiles, à crassioribus, per modum cribrationis aut filtrationis, solâ particularum suarum, quoad magnitudinem & figuram, cum poris & ductulis convenientiâ secernuntur, & ad ventriculos cerebri, tanquam earum promptuaria, confluunt, & sic in statum libertatis vindicatæ *spiritus animales* vocantur & audiunt in Schola Philosophorum & Medicorum; partibus sanguinis crassioribus, irregularibus, minusque elasticis & mobilibus per venas jugulares internas ex cerebro refluentibus, & tandem per venam cavam descendentem, in quam desinunt & terminantur illæ prædictæ venæ jugulares, revertentibus ad dextrum cordis ventriculum.

§. 15.

Horum autem spirituum animalium usus est, ut infervant functionibus animalibus, quales sunt *sensus & motus*. Sine illis enim nec ullus sensus in homine datur; nec ullus motus produci potest. Sunt autem motus in homine duplicis generis: *Alii*, qui *naturales* dicuntur, quiq; à solo mechanismo musculorum & corporis humani dependent, & ad quos producendos mens humana nihil conferre potest *immediate*. Quales sunt omnes illi motus, quos habemus cum brutis communes; uti sunt motus œsophagi, ventriculi, intestinorum, similiumq; partium, alimentorum masticationi, deglutitioni, concoctioni & motui inservientium. *Alii* contra dicuntur *voluntarii & arbitrarii*, qui vi unionis

onis mentis cum corpore etiam imperio mentis subjiciuntur, & à mente imperari & produci possunt in corpore toties, quoties mens vult, & quamdiu corpus est sanum & integrum. Quales sunt v. gr. extensio, contractio, pronatio, supinatio brachiorum pedumque. Quotiescunque enim mens vult, & cogitat de his motibus in suo corpore producendis; illi statim sequuntur in corpore. Ex quibus motibus descriptis illi scilicet: *naturales* & automatici ordinaria & frequentissima passionum nostrarum existunt causa. Quia à nulla causa vehementius concitamus, quam ab objectis externis. Hinc videmus plurimos homines proniores esse ad tristitiam & commiserationem ex solo apparatu externo funebri, quam ex interna reflexione mentis, super obitum honesti, virtuosi, eruditi, vel quibuscunque virtutibus ornatissimi Viri facta. Quamvis nec illos motus hic plane excludere velimus, quos *voluntarios* diximus, quiq; produci possunt ab actione animæ, sese determinantis ad hæc vel illa objecta concipienda. Uti etiam soli motus interni, qui à certo & naturali temperamento sanguinis, aut impressionibus *casu* occurrentibus in cerebro, dependent, quandoque certarum passionum, imprimis illarum, ad quas nonnulli homines naturaliter inclinant, causæ existere possunt.

§. 16.

Atque hæc, quæ diximus, sufficere quidem videntur, ut inde cognoscamus *in genere*, quid passiones animæ sint, & unde oriantur, quaque ratione distinguantur à sensibus humanis, aut quibusvis aliis mentis nostræ cogitationibus; attamen hæc generalis notitia nondum sufficit iis à se mutuo distinguendis. Sicuti enim in physicis ille, qui generalem tantum notitiam corporis, ut corporis, sibi acqui-

vit,

vit, & cognovit illud extensum esse in longum, latum & profundum, propterea nondum cognoscit corporum species, utpote quarum cognitio à specialioribus dependet causis; ita etiam, si diversæ illæ passionum animæ species intelligi & cognosci debeant, utut in generica natura conveniant omnes, specialiores earum causæ erunt indagandæ & expendendæ. Verum, cum harum numerus sit indefinitus fere, maximum mihi onus impositum sentio, si eas, earumque causas omnes ordine hic recensere vellem aut deberem; imo vereor, ne hoc tentando in integrum librum excreset hæc mea Dissertatio. Ut igitur nimis prolixitati parcam, & meo nihilominus officio, si non ex toto, saltem ex parte, satisfaciam, tantum quarundam, & quidem earum, quæ instar *Primitivarum* & *Cardinalium*, quarum reliquæ omnes sint totidem species, haberi & considerari possunt, naturas & causas paucis hic describere & determinare conabor. His enim cognitis, tunc facile intelligi & cognosci quoque poterunt omnes reliquæ.

§. 17.

In enumeratione autem harum passionum *cardinalium* & *primitivarum* minime existimo mihi inhærendum esse sententiæ Scholarum, quæ duo tantum summa veluti passionum genera, *Cupiditatem* scilicet & *Iram*, à duplici appetitu sensitivo, uno *concupiscibili*, altero *irascibili*, oriunda agnoscunt, ad quæ omnes reliquæ passionum species revocari possint & debeant. Neque pluribus repetam causas, ob quas paragrafo 12. jamdum judicavi illam vulgarem passionum recensionem naturæ passionum tum primitivarum ab ipsis suppositarum, tum quæ ab his dicuntur oriri, minus convenientem esse. Melior nobis, naturæq; humanæ, & ipsarum passionum convenientior videbitur illa earum

earum enumeratio, quæ *natura, indoli & progressui causarum*, à quibus ipsæ passiones proxime & immediate producuntur, magis accommodata erit. Ita enim, qui natura sua *prior*, qui *posteriores* sint animi nostri affectus, facile non tantum intelligetur, sed omnis quoque eorum confusio optime evitabitur.

§. 18.

Cum autem frequentiores & magis ordinariæ causæ nostrarum animæ passionum sint varia objecta externa sensilia, spiritus animales & sensorium commune cum impetu commoventia, ut §. 15. vidimus; in passionibus nostris *ordine naturali* recensendis tantum nunc attendendum nobis erit, quomodo, & quot variis modis illa objecta sensilia agant in nostros sensus, & quot modis in specie ad nos spectent.

§. 19.

Quem ordinem naturalem servantes, illorum objectorum sensilium, variarumque eorum ad nos relationum intuitu inter omnes passiones, quæ inde in nobis oriuntur, prima videtur *Admiratio*, quam sic definitio: *Quod fit subitanea anima occupatio & commotio, producta à motu spirituum animalium, ab objectis novis, raris & insolitis vehementius agitatorum, quæq; ea in attentionem non tantum horum objectorum feratur considerationem; sed & ratione sui iudicii & voluntatis ita agitur & dubia reddatur, ut, quid affirmandum, quidve negandum sibi sit, nesciat.* Non quidem me latet, esse nonnullos, qui *Hanc* è numero passionum eliminandam, & ad sensum, seu cognitionem humanam solum referendam esse censeant; imo qui *Cartesii*, non tantum de *Admiratione*, sed etiam de quibusvis aliis *Passionibus anime* sententiam ex eo capite penitus rejiciant, quod *ipse* contra communem Philosophorum

C

rum

rum sententiam; passiones seu motus animi communi consensu ad solos actus *Voluntatis* referentium, solus ipso ad *Intellectum*, aut saltem non ad *Voluntatem*, ut celebris alicujus *Scriptoris*; prolixius hac in parte *Cartesii* refutare conantis, verba sonant, referre voluerit. Quam *Cartesii* sententiam propterea laudatus & cæteroquin ingeniosus Autor *paradoxam* pronunciat, & quæ uniuscujusque hominis *sensu & experientia* facile refutari possit.

§. 20.  
Quamvis autem *Cartesii* patrocinium nunc in me suscipere nolim; sed potius, quid *sensus & experientia* unumquemque hominem de natura passionum & affectuum animi doceant, pro viribus ingenii mei ostendere & declarare in animo habeam: Non possum tamen quin hoc moneam, prælaudatum scilicet *Scriptorem* in examinanda & recitanda *Cartesii* de affectibus animi sententia videri paulo liberaliorem. Nam ipsemet dubitare videtur, an *Cartesius* ad solum *Intellectum* reducerit passiones animi, dum dicit: Quod *Cartesius* solus eas ad *Intellectum*, aut saltem NB. ad *Voluntatem* non reducerit. Non quidem nos ipsi diffitemur, *Cartesium* animi affectus certo sensu ad *Intellectum* retulisse; ipsum tamen simul voluisse & statuisse, illos nullo modo pertinere ad voluntatem, hoc putamus ex ejus scriptis confici & ostendi non posse. Quin potius contrarium manifeste patet ex *Part. I. Tract. de Pass. Anim.* §. 40., ubi hæc leguntur verba: Etenim observandum præcipuum effectum in hominibus omnium passionum esse, quod incitent & disponant eorum animas ad NB. volendum ea, quibus sua corpora præparant. Item *Part. II. ejusd. Tract. §. 52.* hæc habentur: Et usum omnium passionum in eo solo consistere, quod disponant animam ad res eas NB. expetendas; (expetere autem, seu cupere, est actus voluntatis,

fis. *Cartesio* hoc ubique docente & inculcante,) *quas natura nobis dicit esse utiles*, & *perseverandum in ea* NB. *voluntate, etc.* Videatur porro §. 79. & §. 86., in quibus, *amoris, odii & cupiditatis* definitiones exhibens, clarissimis verbis hos affectus refert ad *actus voluntatis*; id quod in sequentibus etiam pluribus ostenditur. Conferatur porro ejusdem *Medita. III. de prim. Philos. p. m. 16.* ubi de cogitationibus suæ mentis differens, ita loquitur: *Et ex his alia Voluntates sive NB. Affectus appellantur.* Et paulo post: *Nulla etiam in ipsa Voluntate vel NB. Affectibus falsitas est timenda.* Et quis nescit, non *Cartesium* tantum, sed omnes, qui *Cartesiani* audiunt, semper & ubique *ad* amare, cupere, lætari, tristari, sperare, metuere, etc. non ad *Intellectum*, quamvis sine eo illorum nihil in nobis contingere queat; sed ad *actus nostræ Voluntatis* retulisse.

§. 21.

Sed mittamus *Cartesium*, se satis suis propriis scriptis & armis defendere valentem; Videamus potius, an naturæ passionum seu affectuum animi repugnet, si ad totam mentem, adeoque certo respectu ad *Intellectum* referantur, & per hunc demum subire & transire statuuntur ad *Voluntatem*? An vero præstet cum prælaudato Scriptore acutissimo, ex uno extremo incidente in alterum, affectus animi revocare ad *solan Voluntatem*, rejecto omni intellectu, ad quem ne minimum quidem pertineant. In eo autem conveniunt & consentiunt omnes Philosophi, qui distinctos didicerunt formare conceptus de iis, quæ in homine eveniunt, quod nulla objecta sensilia percipere & dijudicare mens humana valeat, nisi hæc objecta (1) moveant ipsum *Organum* externum corporis. Quem motum organi sequitur (2) certus motus *nervorum & spirituum animalium*.

C 2

1113

in iis contentorum ; ut & ipsius sensorii communis in cerebro ; Et hi quidem motus hactenus pertinent ad solum corpus ; Istum autem motum *Sensorii communis* in cerebro sequitur (3) *Perceptio* istius motus & consequenter ipsius objecti, quod causa existit istius in corpore motus, & quidem cum intima conscientia conjuncta , quæ non amplius *corporis*, sed *prima mentis* operatio & affectio est, & ad ejus *Intellectum* pertinet. Huic autem perceptioni tandem (4) succedit *actus voluntatis* , quo mens illud objectum, quod intervenientibus prædictis motibus corporeis anima cum intima conscientia percepit, ulterius dijudicat, & circa illud sese determinat , pronuntiando illud vel bonum vel malum, adeoq; vel profequendum vel fugiendum. Quem ordinem & progressum naturalem in nostris sensationibus objectorum externorum experientia ubiq; adeo luculenter confirmat, ut oleum & operam perderem, si hujus rei evidentissimæ demonstrationi pluribus inhærere vellem.

§. 22.

Cum autem *Passiones anima* in ordine naturæ conveniant cum *sensibus humanis*, quia æque ac hi actiones humanæ sunt , imo cum his omnem humanitatem unice absolvunt, uti jam supra dictum fuit; sequitur utique ex communi earum natura, quod eundem ordinem & progressum in his quoque observet humana natura , quando & quotiescunque passionibus dicitur affici mens humana. Quod ipsum etiam experientia confirmat, fidelissima omnium rerum magistra. Si enim ponamus, animam ex: gr. affici amore alicujus objecti amabilis, nihil evidentius est, quam quod hoc objectum (1) afficiat & moveat organa sensuum corporea, sive organum visus, sive auditus, sive quodecunque aliud id fuerit , per quod objectum amabile se insinuat in



nostram mentem. (2) Hic motus ab objecto amabili impressus organo mox communicatur nervis & spiritibus animalibus, & ab his sensorio communi in cerebro, quocumque demum illud esse agnoscatur. Hunc duplicem motum prælaudatus Autor nobiscum merito refert ad nostrum corpus, nec pro ipso affectu habendum esse, sed qui affectus mentis potius præcedat, rectissime judicat. Sed paradoxum plane est illud, quod subjungit tertium scilicet motum, qui duos priores insequitur, & primus est ex iis, qui ad animam pertinent, quique affectum proprie constituit, esse inconstantem & rationem inter & stultitiam versantem motum & actum voluntatis. Hunc enim motum tertium in ordine, & primum in anima, omnes hæcenus Philosophi non pro motu & actu voluntatis habuerunt; sed pro motu potius & actu intellectus. Ordine enim naturæ intellectus præcedit, & voluntas sequitur. Neque potest voluntas quicquam dijudicare, nisi prius intellectu id fuerit perceptum. Sic ut ipse prælaudatus Autor solus pro actu voluntatis habeat, quod omnes Philosophi communi consensu pro motu & actu intellectus agnoscunt, & ita principium affectus animi maximo saltu ad actum voluntatis statim referat, quod omnes sobrie Philosophantes, & ordinem & progressum naturæ humanæ rite observantes, & cum ipsis etiam Cartesius, rectius ad motum & actum intellectus referendum esse judicarunt. Hunc tertium motum in ordine naturæ humanæ, & primum in mente, i. e., in ejus intellectu, sequitur tandem in ordine quartus, & secundus in mente, quem prælaudatus Autor recte refert ad voluntatem animæ, & nos etiam cum illo referimus, quemque vocat, ad distinctionem prioris, tranquillorem & minus tranquillum actum & motum voluntatis. Et de hoc actu ultimo voluntatis recte contra

*Stoicos* asserit, quod ipsi minus bene in eo *principium affectus* posuerint, cum potius in eo quærendus sit affectuum animi progressus & complementum; *Principium* vero *affectuum* potius quæri debeat in præcedente *tertio* motu in ordine, & qui *primus* est in mente, quemque ex natura hominis intrinseca contra hunc Autorem potius ad *Intellectum*, quam ad *Voluntatem* pertinere modo ostendimus. Sic ut operosa & proluxa hac sua Disputatione prælaudatus Autor nihil contra *Cartesium* effecerit, nisi quod id, quod omnes Philosophi hæctenus pro *actu intellectus* habuerunt, ille *solus* pro *actu voluntatis* habeat, & nomine *inconstantis & rationem inter & stultitiam versantis motus & actus voluntatis* exprimat, sicq; tota lis non in re, sed tantum in verbis versetur.

§. 23.

Quibus ita sese habentibus, nunc facile patet, *Admirationem* à prælaudato Autore minus bene è numero passionum relegari, quod *illa* sit in *Intellectu*; *Animi affectus* vero reperiantur in *Voluntate*. Quousque enim hæc vera sint, §. præced. pluribus examinavimus & demonstravimus. Neque video *alterum* ejus argumentum alicujus ponderis esse, quo negat *Admirationem* affectum animi esse, ex eo, quod ejus objectum sit res nova, rara & insolita, i. e. illa, quam ignoremus; Ignorantia autem affectus esse non possit. Nam quamvis mens, quamdiu admiratur rem ut novam, raram & insolitam, non percipiat rei istius novitatem & raritatem; hoc tamen ipsum, quod novum, rarum & insolitum dicitur, intuitu rei, cui inest, aliquid positivum est, & sic capax, ut vero & positivo influxu non tantum organa sensuum tam externa, quam interna movere possit; sed etiam ope & interventu horum ipsam animam, tum ratione sui intellectus, tum etiam ratione suæ voluntatis, sensibili-

fibiliter admodum afficere, agitare & commovere valeat, ut inde etiam notabilis sequatur mutatio in corpore. Id quod sufficit ad naturam passionis seu affectus animi. In eo enim sola *affectuum animi formalis ratio* consistit: Quod passiones animæ sint vehementiores animæ motus & agitationes, ad ipsam speciatim pertinentes, sed à motu spirituum animalium excitatæ & corroboratæ, & cum insigni & subitanea corporis alteratione & mutatione conjunctæ. Hoc ipso enim distinguuntur non tantum à sensibus humanis, sed etiam ab omnibus aliis animæ cogitationibus, quæ animi affectus non sunt, uti in superioribus jam satis demonstratum fuit.

§. 24.

Remotis itaq; argumentis contrariis, quibus admiratio ex numero affectuum animi videbatur nonnullis posse rejici; restat, ut tribus veluti verbis *ipsam*, ut passionem animæ, vindicemus. Hoc autem facile conficietur inde, quod *Admiratio* cum cæteris passionibus animæ id habeat commune, quod in ea & per eam mens humana subito occupetur, & vehementius agitetur à spiritibus animalibus, sensorium commune longe validius impellentibus, quam quidem ordinario fieri soleat ab objectis sensuum, & in ipsa mente excitetur voluntas objecta nova, rara & insolita, hætenus à se ignorata, attentius considerandi & cognoscendi, quam quidem incitari soleat à sensibus eorumque objectis; Imo etiam insignes inde & conspicuæ in corpore oriuntur & producuntur mutationes. Ut proinde non videam, cur eidem in numero passionum locus concedi & relinquere non debeat. Immo *Admirationem* potius omnium *primam* esse passionem, quæ in nobis oritur, antequam ullæ aliæ oriri possint, partim ex ejus natura & objecto

con-

constat ; quod diximus esse rem novam, raram & insolitam, quam utique prius cognoscimus ut talem, quam cognoscamus eam esse vel *bonam*, vel *malam*; Tum etiam experientia confirmat in infantibus recens natis. Hæc autem Passio Admirationis mater prolifica est multarum filiarum, seu variorum aliorum animæ affectuum, v. gr. *Existimationis, Contemptus, Generositatis, Superbia, Humilitatis, Abjectionis, Venerationis, Despectus*, etc. prout illud *objectum*, quod mater harum passionum ut *novum & insolitum* considerabat, nunc porro ab ejus filiabus considerari potest vel ut *magnum*, vel ut *parvum*, vel *ad nos* pertinens, vel pertinens *ad res alias*, extra nos positas. Quas tamen specialiores passiones animi prolixius explicare, contra nostrum institutum est.

§. 25.

Videndum potius, quænam Passiones porro inter *Primitivas & Cardinales*, juxta illum ordinem naturalem causarum, cujus §. 17. & 18. mentionem fecimus, referri mereantur. Cum autem mens humana in progressu suæ considerationis in isto objecto, à quo Admiratio cum suis filiabus prædictis ortum habebat, nihil inveniat, quod post rei novitatem ejusque magnitudinem vel parvitatem ab ipsa considerari possit, & à quo specialiori modo affici possit, quam quatenus illud *intuitu nostri* possit esse vel *bonum*, vel *malum*; hinc duæ aliæ oriuntur in ipsa Passiones, quas *primitivis* annumerare decet, *Amor* scilicet & *Odiu*m. Est autem *Amor* agitatio seu commotio anima, producta à motu spirituum animalium, ab objecto ipsi convenienti ita determinatorum, ut ea incitetur ad se voluntate jungendum eidem ipsi objecto presenti, quod ipsi videtur conveniens. Odiu contra est illa animi commotio à spiritibus producta, qua animam incitat ad id, ut velit separari

parari ab objecto, quod illi videtur noxium. Quæ definitiones amoris & odii cum etiam sint *Cartesii Art. 79. Part. II. de Pass. Anim.*, hinc patet, quanta fiat ipsi Cartesio injuria, quando ipsum accusant, quasi Affectus animi ad *solum Intellectum*, non verò ad *Voluntatem* animæ retulerit. Prout autem porro illa objecta amoris & odii, *bonum* scil: & *malum*, seu *conveniens* & *noxium*, intuitu illius, qui illa amat vel odio habet, considerari possunt, quod vel *majori*, vel *minori existimatione* digna sint; & quod eadem menti repræsentari queant vel per *sensus externos*, vel *internos*; hinc ex illis duobus *primitivis* affectibus, *amore* scil: & *odio*, tanquam duobus summis generibus, oriuntur varii alii affectus, tanquam totidem distinctæ species & pedissequæ: Quales sunt v. gr. *Benevolentia*, *Amicitia*, *Devotio*, *Complacencia*, *Gratitudo*, *Horror* seu *aversio*, *Dedignatio*, *Indignatio*, *Ira*, etc. quos omnes affectus Cartesius *Part. II. § III. de Pass. anim.* distinctius explicat.

§. 26.

Quando autem porro consideratur, quod neque *bonum præsens*, quocum anima per passionem *amoris* conjungitur; neque *præsens malum*, à quo per passionem *odii* sejungitur, suâ naturâ cum successiva rerum duratione, seu cum *tempore* talem inseparabilem nexum habeat, ut bonum & malum *præsens* tantum concipere liceat; sed potius omnes res humanæ in perpetuo sint motu, perpetuisq; mutationibus & vicissitudinibus sint obnoxia; hinc vel sua sponte sequitur, præter *bona & mala præsentia*, multa eorum etiam considerari à nobis posse ut *futura*. Ex qua consideratione emergit, & in nobis oritur novus Affectus cardinalis & primitivus, scil: *Cupiditas*. Quam definitio: Quod sit *ea anime agitatio*, à *spiritibus animalibus interveniente sensorio communi producta*, per quam disponitur ad *NB. volendum* (quod contra

D

supe-

superius laudatum Autorem notandum,) *in futurum res,*  
*quas sibi representat ut convenientes.* Quando autem dixi,  
quod tam *bonum,* quam *malum futurum* cupiditatis objectum  
esse possit, id diverso respectu intelligendum est. *Boni enim*  
*futuri* futuritionem revera & *positive* cupimus; *mali vero*  
*absentis* seu *futuri* futuritionem cupimus *negative,* i. e. cupi-  
mus, ut non eveniat, quod evenire possit. Neq; alio modo  
*praesens bonum,* *praesensq; malum* cupere possumus; quam qua-  
tenus *boni praesentis* continuationem in *futurum,* neq; ex na-  
tura temporis, neq; ex natura boni praesentis, necessario se-  
quentem, recte cupimus; (*praesens enim bonum, ut pra-*  
*sens,* citra contradictionem non possumus dici cupere;) *mali*  
autem *praesentis* non continuationem in *futurum,* sed  
potius ejusdem cum praesenti tempore evanescentiam cu-  
pimus. Hujus autem affectus *primitivi* plures sunt *species,*  
v. gr. *Spes, Metus, Securitas, Desperatio, Zelotypia, Animositas,*  
*Audacia, Emulatio, Pusillanimitas, Consernatio,* etc. Imo tot  
possunt constitui species, quot varia sunt objecta, quae quaeruntur & desiderantur; et ejus natura tam late patet, ut in  
plerisque aliis affectibus quoque reperitur, eosque comitetur.

§. 27.

Hanc autem *Cupiditatem* sequuntur, & numerum *primitivorum* animae affectuum complere videntur, duo alii, ex  
*possessione boni vel mali* resultantes, *Laetitia* scilicet & *Tristitia.* Est  
autem *Laetitia* *jucunda anima commotio,* ex *possessione boni* resul-  
tans, quod *impressiones cerebri ipsi representant ut suam.* *Tristitia*  
contra est *languor anima ingratus,* ex *possessione seu praesentia ma-*  
*li* resultans, quod *impressiones cerebri ipsi representant ut suam.*  
Ex his autem duobus affectibus *primitivis,* tanquam am-  
plissimis fontibus, scaturiunt plures alii, quales sunt v. gr.  
*Acqui-*

*Acquiescentia in se ipso, Hilaritas, Gloria, Irrisio, Commiseratio, Pudor, Pœnitentia, Fastidium,* etc. quos omnes enumerare & explicare nimis prolixum foret. Plura qui de hisce scire & cognoscere desiderat cum attentione & sine præjudicio, legat *Cartesii* aureum *Tract. de Pass. Animæ.* Si qui vero fuerint, quibus non arrideat hæc nostra Passionum animæ descriptio, earumque in sua summa genera, & inde resultantes species, divisio, per nos quidem licebit, ut suo proprio gaudeant genio, & meliora proferant. Nobis in hoc arduo negotio aliquid saltem tentasse sufficiat.

§. 28.

Atque sic quidem finem imponere possem huic meæ Dissertationi, nisi officii ratio mihi injungere videretur, vel tribus saltem adhuc verbis notasse, quid sentiendum & respondendum sit ad quæstionem olim inter *Stoicos* & *Peripateticos* Philosophos non minus, quam nunc inter *Modernos*, maximo cum sententiarum discrimine ventilatam: *An scilicet Affectus animi in se spectati omnes boni sint vel mali?* Sicuti enim *Illi* pronuntiabant eos omnes malos esse, & proinde ut Sapientes se ab illis vacuos & immunes jactitabant; Ita contra *Hi* eos omnes dicebant bonos. Quam sententiarum discrepantiam facile componere licebit, si consideraverimus, *Affectus animi* esse *actiones humanas*, unionem mentis cum corpore immediate consequentes, uti in superioribus demonstratum fuit, adeoque cum *sensibus humanis* in eodem ordine & usu esse constitutos. Cum autem *Hi* nobis non sint dati ad Philosophandum, nec *Rectores* & *Mythagogæ* existant vitæ mentalis, sed tantum animalis, seu potius humanæ, ut scilicet per illos discamus, quæ nobis, ut hominibus, seu potius nostro corpori, prosint vel noceant, nemo amplius dubitare poterit, quin etiam *Illi* eundem habeant usum,

D 2

& in

& in se spectati , & in ordine natura considerati omnes sint boni, cum eorum Autor, æque ac sensuum humanorum, sit Deus O. M. , qui mentem cum corpore certissimo fœdere conjunxit, & à quo nil nisi bonum procedere potest. Mali autem fiunt per excessum, & culpâ, negligentia, & per veritate ipsius Hominis , Rationis suæ armis non recte utentis. Quod quidem prolixius nunc Ego non deducam , postquam audiui, Aliquem ex meis Commilitonibus hanc materiam propediem pluribus expositurum esse in *Dissertatione de Homine Passionum suarum Servo*. Id tamen, quod dixi de affectuum animi cum sensibus humanis communi usu, & sensus & experientia confirmant. Quotiescunque enim Passionibus afficimur, manifestissime sentimus, per eas disponi non solum animam, ad res eas expetendas, quas natura nobis dicit esse utiles , & persistendum in ea voluntate, majori cum constantia , quam quidem fieri solet, quoties per solos sensus de iisdem rebus admonemur ; sed etiam corpus omnibus istis modis & motibus efficaciter instrui, quibus in earundem rerum executione opus est. Si verò Affectus animi considerentur in ordine morum , illos tunc neque bonos, neque malos dici posse , sed indifferentes esse & censeri debere, nemo non videt. Sicuti enim nemo propterea vel virtuosus, vel vitiosus jure dicitur , qui vel visu, vel auditu, vel reliquis sensibus pollet, vel non pollet ; Ita etiam nemo dicitur propterea vel virtuosus, vel vitiosus, quod habeat Affectus animi. Ut proinde Stoici, quo virtuosif viderentur, non opus habuissent adeo abhorrere à prædicato, quod haberent Passiones. Quicquid enim vitio nobis verti potest, de Affectuum excessibus potius erit intelligendum.



Antequam manum meam de tabula removeam, & clamor quietem imperem, de *Utilitate* hujus *Doctrinae Pathologicae* maxima, quam & Theologo, & Politico, & Medico, & Philosopho praestet, pauca adhuc dicam & adjiciam. Et quidem, quod ejus usum in *Theologia* spectat, ille facile cognoscetur inde, quod DEO in S. Scriptura legantur & videantur varii Affectus humani tribui & adscribi. Ut *Amor*, Psal. 78. v. 68. Item Psal. 11. v. 7. *Odium*, Psal. 11. v. 5. Item Prov. 6. v. 16. *Ira*, Exod. 4. v. 14. *Vindicta*, Exod. 22. v. 23. 24. *Commiseratio*, Exod. 23. v. 19. & similes. Quomodo autem quis haec rite intelligere, & quo sensu, quoque fundamento ipsi isti Affectus DEO adscribi possint aut debeant, unquam recte determinare valebit, qui, quid praedicti Affectus in Homine sint, nunquam clare & distincte perceperit. Aut enim talis sitam in his debet fateri ignorantiam, aut ex DEO Hominem faciet passionibus humanis obnoxium. Quo in puncto saepius nonnullos impingere Concionatores notum est. Quantum etiam utilitatis conferat haec doctrina & noticia de *Passionibus animae* ad explicandam *propagationem peccati originalis*, in cujus explicatione omni aëvo multae reperiæ fuerunt difficultates, intelligunt illi, qui absque praedicti hujus naturam & propagationem intueri voluerint. Amplissimum denique usum haec doctrina de *Affectibus animi* habet in *Praxi & Oratoria Ecclesiastica*. Qui enim vel primis labris saltem degustarunt *artem Rhetoricam*, sciunt Oratoris scopum esse, *oratione diserta ad assensionem perducere Auditorem*. Hoc autem ut praestet, praeter *argumenta inartificialia*, tria adhibere solet & debet *argumentorum artificialium genera*, *rationes* scilicet, *mores & affectus*. Ex quorum legitima & decenti dispositione omnis elegans, Eruditusque

ditisq; probata, & ad persuadendum aptissima & efficacissima resultat Oratio. Imo Oratores sacros saepe facilius & felicius commovere animos suorum Auditorum, eosq; ad assensum perducere, (cum maxima pars hominum magis passionibus, quam ratione ducatur & regatur,) ultimo hoc argumentorum genere ab Affectibus petito, atq; adeo eò felicissime pro concione uti, ad insignem Ecclesiæ ædificationem, experientia quotidiana confirmat. Unde non immerito *Aristoteles* hoc argumenti genus de *Affectibus* tanti ponderis esse judicavit, ut *primis II. Capp. integris Lib. 2. Rhetor.* hanc materiam prolixius pertractare, seduloque artis oratoriæ cultoribus inculcare nullus dubitaverit.

§. 30.

Neque minor est hujus scientiæ de *Passionibus animæ* utilitas in *Oratoria Civili*; Quod satis experiuntur illi, qui aliorum causas in foro agunt, aut Legatorum munere funguntur. Imo ex hujus doctrinæ ignorantia provenit, quod multi in *Philosophia morali* loco *virtutum* non nisi *Passiones*, quas *bonas* vocant; & loco *vitiatorum* non nisi *Passiones*, quas *malas* vocare solent, referant & describant, sicq; doctrinam moralem cum hac doctrina physica de *Affectibus animi* pessime confundant. Quantum verò utilitatis de *Affectibus animi* scientia adferat *Medicina*, agnoscunt satis & fatentur illi, qui hanc artem profitentur. Cum enim *animi Patbemata* ab ipsis referantur inter *res non naturales*, à quarum legitimo usu vel abusu omnis dependet sanitas, omnisque procedit ægritudo, facile hinc patet, absque horum notitia nec quicquam in Theoria, nec quicquam in Praxi Medica peragi posse à Medico, quod ullam laudem mereatur. Imo vel solum *excessum ira* esse illam perpetuam *peccatam*, quæ inter homines grassatur, & plurimos e medio tollit,

lit, evidentius & certius est, quam ut multis à me demonstrari debeat. Neque *Philosophum* tanto fati defungi posse officio, si hanc partem *Philosophiæ* ignoraverit, ex supra dictis unicuique fati constare potest. Ego autem nunc hic subsistam, veniam precatus à Benevolo Lectore, si forte alicubi errasse, aut meo officio non satisfecisse Ipsi videbor. DEO autem pro præstito auxilio sit Laus & Gloria.

## COROLLARIA.

1. Datur in nobis Idea DEI; & inde naturalis DEI cognitio.

2. Absque hac enim Idea DEI nunquam possemus per contemplationem operum venire in DEI Notitiam.

3. DEUS est à se positive, non verò negative.

4. Attributa DEI non bene distinguuntur in communicabilia & incommunicabilia.

5. Creationis opera uniuscujusque diei momento esse facta & creata, sacra Scriptura non docet, nec verisimile est.

\*\*\*



**D**u zeigest/werther Freund/ daß Niemand sich ent-  
ziehen  
Des Geistes Regungen/ so lang er Mensch ist/  
kann /

Daß Niemand ihrem Reiz und Triebe kann entfliehen/

Was auch ein Stoicus hierwieder führet an:

Doch sey hierum kein Mensch nicht Lasterhaft zunennen/

Wer nur die Übermaß kann vom Gebrauche trennen.

Und so zeigstu zugleich/daß/ob die Wurzel bitter

Der Edlen Wissenschaft/die Frucht doch süße sey;

Daß/ob die Frühlings-Lust der Jugend Ungewitter/

Sie doch den/der sie sucht/auch durch sich selber freu :

Wollführe was du hast so rühmlich angefangen /

Und denke/daß mann nichts kann sonder Müh erlangen.

Mit diesen wenigen wolte seinem gelieb-

ten Herrn Vetter schuldigt

gratuliren

**J. D. Hoffmeyer.**  
Philos. Studios:

In-

**I**Nfanis procellosi aequoris fluctibus jactitata navis,  
 Magnorum discriminum impense plena est,  
 Durumq; jam factura naufragium,  
 Vorticibus profundis misere nolens abripi se patitur;  
 Si turbata vel obruta destituitur perito navarcho,  
 Qui movendum gubernaculum recte imperet,  
 Ac quomodo vela dent nautae aut vertant,  
 ordine praecipiat;  
 Ipse pariter secundis & adversis ventis tum uti,  
 tum resistere,  
 Dubiosq; ac communes commode sibi vindicare  
 ex commodo dignoverit.  
 Discordibus animi motibus in partes impetuose  
 distractus homo,  
 Similibus usque quaque exponitur periculis,  
 Malaeque consuetudinis aestu ancipiti contra senten-  
 tiam proborum agitatus,  
 Fluctibus tumidis aerumnosus, udus & inops vix evadet;  
 Nisi à prima juvenra intruendam occupet *mentem*,  
 Quae *re nos* imperio scite subjiciat;  
 Et in vitae humanae stationibus incertis  
 Affectu & officio certo bonoque ubique certare  
 bene didicerit.  
 Vtriusque tam laeti successus, quam triftis eventus,  
 In doctrinae solidioris exemplari clarissimo,  
 Cum simus, *AMICE*, non spectatores otiosi, sed operis  
 negotiosi consortes;  
 Agamus solerter, quod ductu mentis recte eruditae, exem-  
 plorumque meliorum imitatione convenientissima,

E

Extra

Extra periculum facti recti boniq; , confectores & victores  
futuros firmiter instruat & instructiores confirmet;  
Atque τὸ πάθος ἀνευ πάθους moderari assuescamus,  
Vt in consortii humani quibuscunq; seu turbis,  
seu necessitatibus,  
Secundum *Leges* digne eodem & fructuose utamur.  
Nec sicubi adhibenda cautio in perversitate pervia,  
Nec in perplexiore casu motus fragorque praeceps ad  
praecipitium temere praecipitet,  
**T**urpiter nos eludat vel misere postremo destituat.

*Testificatus affectum & amicitiam  
sinceram*

ARNOLD JOHANN SIGMUND REPHVN,  
Phil: Stud:



AB: 155 159

ULB Halle 3  
002 673 711




17


56.

1107









Farbkarte #13

B.I.

28.

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA

DE  
HOMINE ΠΑΘΗΤΩ,

Quam  
AVSPICE DIVINO NUMINE

SUB PRÆSIDIO

DN. CONRADI PHILIPPI LIMMERI,

Medicinæ Doct. Ejusdemq; Facultatis, Item Phys. & Mathes.  
in Illustr. Lyceo Anhalt. Prof. Publ.; Academiæ Cæsareo-  
Leopoldinæ Naturæ Curiosorum Collegæ, nec non  
Reipubl. Servest. Physici ordinarii,

DNI. Patroni ac Præceptoris atatem colendi.

Publicæ & placidæ Eruditorum Disquisitioni  
submittet,

Ad diem xxii. Febr. Anni M D C C IV.

L. horisq; solitis

AVCTOR ET RESPONDENS,

JOANNES GODOFREDVS Hoffmeyer.

Serv: Anhalt: S. Theol: & Philol: Stud:



SERVESTÆ, EXCVDIT JOH. ERN. BEZELIUS.

AVLE ET ILL. GYMN. ANH. TYPOGR.

C28.